Cum socero vocat et Gener, et genus omne vocantum
Cum Patre, cum Sponso Conjuge Sponsa vocat.
O sponsi, male et frustra ~~tentatis~~ tentatis; iniquum est
Quod mea non potuit sponsio, vestra velit.

Gratias interim, quas debeo longè maximas reddo, quod
me festivitati domesticæ advocatum testari sic volueris
interioris amicitiæ consortem haberi. Erat sanè ad
manum uberrima seges epigrammatum ex parte
tibi quoque inscriptorum, quæ Mudanæ Synodo, inde
a Castris destinaveram: erant et ἐκ τῶν τȣ ἀδήλȣ
de charactere fescennino, quæ in libertate poculorum
~~f~~ nuptialium, veniam apud Catones invenissent. At
enimvero omnium me et singulorum tædium, ~~ne~~
nescio quod et nausea cœpit, ex quo gravissimo, mi
amice, gravissime ~~de~~ vulnere de cœlo tactus fui, cui
tu eruditam et salutarem manum, magno, fateor meo
solatio adhibuisti. Volant illa nunc levibus ludibria
ventis, nec facilè video an illos umquam spiritus
resumpturus sim, quibus animus redeat futiles argu-
tias ex adversarijs colligendi. Necdum enim tam
mens sum ut quidquam de me statuere audeam, vel
polliceri. Vale tu beatius cum planetis tuis, et ami
Adrianæ meis verbis opta, ut viro magis magisque
fiat intolerabilis. Scribo districtissimus teste
Wicquefortio.

Tuus et Tuorum.

Hagæ Com: XI. Cal: Decr. K

1642.

Boxhornio. Amplissime et Doctissime Vir. (337)

Si versus a me petiisti, ecce quod mandasti curatum est.
si bonos, ego is sum qui respondisse poteram. quare
cui imperes; nec deesse tamen amicitiæ volui, quando
bonis illi malisque ex æquo satisfieri posset, et tu
quidem cum Vulcano malis ut tanquam non bonis.
quâ re an utriusque nostrûm existimationi impru-
denter consultum foret, seriò te expendas rogo, et me
ames.

Integerrimo affectu
tuum
C. H:

18. Decr. 1642.

(338)

Boxhornio. Quod molestus tibi hesternâ die futili poematio fui
Vir doctissime, tibi imputa; quod hâc hodiè futiliore
prosâ

© Koninklijke Bibliotheek
KA 45, fols. 120v-121r
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3203

prosâ; soli mihi video te vitam omnem τοῦ μακαρίτου obeuntem, amicitias recensere, quas peregrè domique coluit arctissimas. Has inter meæ quoque mentionem fieri, nisi serò te monerem, pro ea quæ mihi cum integerrimo Virorum multis abhinc annis consuetudo intercessit longè amicissima, meo quodam jure postularem. Si pronectiori typographo fieri non potest, ea lacinia commodè ut suo loco assuatur, superest expendas an ad calcem et quasi in Errata conjici debeat. Verè nimirum in erratis Mylij numerandum est actus, quod pluris me fecerit ille, et facis tu, quam ulli meo merito par esse constet. Vale Vir Magne, et omnem tui arbitrii rem esse puta, ut totum

Tuum.

19. Dec: 1642. C. H:

Voetio.

Reverendissime ac Doctissime Vir (339).

Literas quas vides ab amico literatorum omnium Mersenno cura mea commendatas, eodem penè momento, quo ad me perlatæ fuere, ad te transmitto. Si tantum vacat, ut te accepti verbo me certiorem facias, liberabis eâ me sollicitudine, quâ res amicorum procurare longè soleo diligentius, quam ipsas meas. Vale bono Ecclesiæ et me ama. Hagæ Com: Postrid: Non: Jan: CIƆIƆCXLIII.

Wendelino.

(340)

Discedens nuper hinc Lavirtuus, Vir Amplissime ac doctissime, cur nihil a me literarum tulerit, causam fortasse divinaveris. Sin peritior cœlestium rerum vates es quam terrenarum, causam ecce ipse prodo, et nobe testium astructurus sum. confertissimas nimirum occupationes meas, quibus quæ tu tranquillè tractas, amoenissima studiorum carptim ego ac desultoriè attingo. amicitiæ verò vel humanitatis officiis, negligentissimè satisfacio, ut si me literarum aut verborum numero æstimas, planè sis injurius amici censor, Virtutis ac doctrinæ tuæ cultoris longè addictissimi. Tandem pro traditis immerenti observationum singularium gemellis clavibus, gratias his verbis ago. Constanti illas et fideli custodiâ premendas spondeo, quousque per te non stare significabis, quin compotes literatiores amicos faciam, arcani utriusque plurimâ notitiâ atque admiratione digni. quod cave a me dictum suspicere, quasi jam

vacillante